



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1611

XI. De homine ferro in gutture sanciato.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41527

De puero & puella.

CAPVT X.



Num in duobus miraculum per omnipotentis Dei famulum laudabile factum in puella duodenni, quæ prior matrem comitata ad nos vsque peruenit; & in puero, vt computabatur septenni, qui paternis humeris allatus, sequens, è diuerso venit, operæ precium * *in ferrea.* inserendum videtur, sed non sine scrupulo, dum quosdam sanctis, per quos Deus nostris temporibus, quæ & in antiquis quoque operatur, detrahere confundimur, quasi & ipsi infirmiores fuerint in hac parte. Vna enim voce sub terribili maiestatis diuinæ contestatione, & sanctorum inuocatione mater sibi filiam, Pater vnicum, mortis dolore subtractum fuisse; illa, tactis reliquiis beati Othonis; ille verò, pro puero censum in quinque denariis offerens, super sepulchrum, nulla spe, vt à quibusdam imponitur, obsecrationis, mortuos suos de resurrectione, se, fidei suorum testimonio confirmabant accepisse. Nos autem non derogationi, sed diuinæ operationi locum dantes, diuino iudicio istud relinquimus. Siue enim semiuiuis vitam reparare, siue defunctis animas reddere, diuinæ Virtutis est.

De homine ferro in gutture sauciato.

CAPVT XI.



Afu accidit, vt quidam conciuem suum ferro in gutture sauciaret, ac, defluente sanguine, per totam noctem & diem semiuiuum relinqueret; cumque cibum, vel potum sibi infusum per ipsum meatum vulneris eiceret, & iam desperaretur, mater dolore filij intrinsecus tacta: Hunc tibi miseratori omnium benignissimo, beate, ait, Otto, oblaturum deuouco, si eum sanum & incolumem

colorem per tua sancta merita recipere meruero; mox mirum in modum sanguinis ille riuus stetit; vulnus constrictum, cicatrice obductum est; puer conualuit; viam ad sancti sepulchrum cum matre aggressus est. Vbi verò filua, quæ terminum Thuringiæ facit, emensa est, ille laboris & doloris (nam exsanguis erat) magnitudine, terræ affusus deficere cœpit. Tunc mater, amicis illum ad propria renocare suadentibus, mœrore confecta; *hinc, non regrediar: Sed quo proposui etiam exanime corpus, ait, prosequar.* Ad hanc vocem, veluti inuisibili quadam subleuaretur dextra, homo surrexit, & iter, quod cœperat, non sine admiratione multorum, incunctanter perfecit, veniensque coram sepulchro viri Dei, omnibus curationis illius testis sui ipsa cicatrix fuit.

Alia miracula post obitum S. Ottonis facta.

CAPVT XII.

A Pud Thuringiæ castrum tam antiquitate, quam munitione famosissimum; cui *Erburda* nomen est; quidam ex equestri ordine paterfamilias, tanto coxarum dolore torquebatur, vt vim interni doloris magnitudine vix explicare posset continui laboris; cumque remotioris secreta cubiculi, quietis gratia, expeteret, vocem cuiusdam audiuit, quæ eum cum voto ad tumbam viri Dei venire admonuit. Ille, vbi vouit, cœlestis votum medicina secuta est. nam omnis, quo vexabatur, dolor, recessit; & eos, quos prius cruciatibus suis tristes reliquerat, versa vice, de recepta sospitate secum gaudere, & ipse gaudebat. Mox itinere arrepto, ad sepulchrum sui curatoris peruenit; vbi multos curationis suæ testes, qui iam illum, fama volante, præueniant, inuenit.

℥ 2 Item